1639.
34.7.C.211
135
16
21

ORATIO
ALBERTI MORONI
E SOC. IESV.
DE CHRISTI DOMINI MORTE
Habita
AD SANCTISS. D. N.
VRANVM VIII.
PONTIFICEM MAXIMVM.
IPSO PARASCEVES DIE.
In Sacello Pontificum Vaticano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Typis Vitalis Maſcardi. MDCXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISS. D. N.
VRBANO VIII.
PONT. MAX.

ALBERTVS MORONVS F.

VÆ nuper habita, coram Te fuit Oratio, Beatiſſime Pater, *non alio ferè, quàm argumenti merito redit ad Te. Ideam quippe piè, Chriſtianèque regnandi, quam in Caluario monte propoſitam à Chriſto, monſtrarat; à Te Chriſti Vicario ad viuum expreſſam, agnouit in Vaticano. Quid enim aliud, niſi regnatricis huius artis lineamenta, ſunt illa virtutum lumina, quæ in tua Sanctitate Roma, & Romæ ſubiectus terrarum orbis cum veneratione admiratur: Religioſa, verèque Pontificalis liberalitas in aris, templisque, vel Constantinianà magnificentia ornandis, in populorum quærenda ſalute, commodisque prouida vigilantia: in Vrbis quà ſplendore, quà tutela ſupra Cæſarum, aut curas, aut vires*

amplificanda: Aſſidua rerum cæleſtium contemplatio, quarum ad momentum libras mortalia: ſapientiæ ſtudium: communis in omnes beneficentia: pacis amor: & in hoc concuſsi orbis motu, animi, ditionisque Tuæ ſtatus imperturbatus. Hæ nimirum Tuæ ſunt Artes: ſic regere imperio populos VRBANE conſueuiſti. Hanc ab ipſo Deo deſcripſiſti rectè imperandi normam, cæterisque Chriſtianis Principibus continenter deſignas. Quam eſſe cauſam reor, cur & diuturnam, & felicem Tibi vitam Diuinitas ipſa cælitùs indulgeat (quod cum Sanctiſſimis Pontificibus habes commune, qui longæui fuere ſuper terram, vt meritis grauiores quàm annis, æuo æterno fruerentur in Cælo) quò nempe diutius haberent, quem imitarentur Principes in regnando, quem populi ſuſpicerent in obſequendo. Deus Optimus Maximus eandem vitam ad publicum Mundi bonum diù Tibi ſeruet incolumem.

ORA-

ORATIO,

ARTEM regnandi, & exercitatione Chriſtianam, & inſtitutione diuinam, BEATISSIME PATER, Caluariæ mōtem habuiſſe pro ſchola, pro magiſtro patientem Deum, ſatis videtur inſinuaſſe, qui cecinit, *Dominus regnauit à ligno*. Psal. 95. Quippe regnorum arbiter ſummus, per quem Reges regnant, & legum Lec. Ro. & Hym. conditores iuſta decernunt, Chriſtianorum Principum vnumquemque ad ardua regendi populos, informans, ijs facile verbis iteratis officij monet, *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Exod. 25. Et merito propius à Cœlo petitur eorum inſtitutum, qui cæteris

mortalium imperando, ſupra terram altius ad imaginem Diuinitatis aſſurgunt. Cum igitur, & dies hic, dierum ſanctiſſimus, ſupremi vexillum proferens Regis, ad benè de Republica ſperandum, ſignum ſuſtollere videatur, & locus hic demonſtratus diuino digito ſit, vnde petatur à cæteris ſub Chriſto Rege Principibus, lex, & norma regnandi, non importunum tempori, non alienum loco, futurum, ſum arbitratus, ſi formam publici principatus, ritè adminiſtrandi, ex duabus Crucis tabulis deſcriberem, Chriſtique patientis hiſtoriam retexens, in eâdem hiſtoria veram à falſa politice dijudicarem, falſamque in aperta improbitate Iudæorum, veram in arcana Chriſti ſapientia breuiſſimè recognoſcerem.

Vt ergo rem ingrediar; politicis actos rationibus, & quaſi domeſticis Principum furijs agitatos, aduerſus Dominum, & Chriſtum eius conſpiraſſe Iudæos, vel illa eorumdem in Concilio
Ioan. 11. verba teſtantur, *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* En ſuaſor conſiliorum peſſimus amittendi Regni timor, quô mentes ab ratione deturbatas, compellit; ad innocentiam ream faciendam, ad iuſtum iniuſta morte damnandum? Verùm quàm ſapienter Iudæi

principatui ſuo conſuluerint, rerum æſtimator optimus oſtendit euentus. Vbi enim nunc eſt Regina illa ciuitas, Domina gentium, princeps Prouinciarum, non tàm manibus Romanorum Cæſarum, quàm Iudæorum ſceleribus funditus euerſa? Crux illa, qua vitam omnium extinxerunt, aries fuit, quo mœnia Ieruſalem concuſſa ſunt, ac diruta, vt nec lapis ſuper lapidem relinqueretur. Diuina verò ſapientia in eodem concilio, vel iniquiſſimi Iudicis ore, quàm ſalutare fudit oraculum? *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; Ioan. 11. Vnum pro cũctis detur caput; vna vita mortem redimat omnium; caput rerum Deus extremum diſcrimen ſubeat, vt reliqua mundi membra in tuto ſint. Iàm verò cùm propinqua ſit hora, & poteſtas tenebrarum, in tenebris ſuum opus architectantur, qui decernunt, dolo tenere Chriſtum, & occidere. Nimirum extinguere mundi lucem, nonniſi tenebræ poſſunt, & vbi dolus interuenit, moriatur integritas, neceſſe eſt. Metuunt quoque mortalium audaciſſimi, ne tumultus fiat in populo, idcirco abſtinendum cenſent à feſtò die. Math. 27. Sed, ò cæcutientem nimis politicam prouidentiam. Tumultum populi timetis, nec tumultuantem horretis in Chriſti morte naturam, cum dies fugiet in no-

ctem, terra ſuis omnibus intremet fundamen-
tis, petrarum firmitas confracta ſoliditate diſ-
S. Leo: ſer. 2. de Paſſ. ſiliet? *In vos nempe Iudæi tunc Cælum, ac terra*
ſententiam feret; vobis famulatum ſuum elemen-
torum ordines denegabunt, & recedente à legibus
ſuis miniſterio creaturæ, veſtra obcæcatio, veſtra
ſignificabitur confuſio. Chriſtus contra, qua no-
cte tradebatur, corporis, ac ſanguinis ſui tra-
dens ſacroſancta myſteria, ritè condebat rega-
le ſacerdotium, & ſacerdotale Regnum; & ſur-
gentis Eccleſiæ fundamenta iaciebat altiſſima.
Quid ~~cum~~ cum in horto Getſemani fit captiua
libertas filiorum Dei, cùm vincitur arctiſſimè,
qui vincula diſſoluit criminum humanorum?
An non etiam tunc patuit, quid poſſet aduerſus
conſilium Dei calliditas inſana mortalium? Spe-
cie ſalutantis ipſa proditur ſalus, & amicitiæ
pignus oſculum teſſera datur nequiſſimis ho-
ſtibus ad inuadendum. Præclarum enimuerò
fuit illud humano generi documentum, & iam
Prou. 27. ante à ſapientiſſimo Rege prolatum. *Meliora*
eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula
odientis. Artes nempè ſunt deterioris politices,
venenum ſub melle condere, beneuolum ſe
ferre vultu, odia verò corde premere, eò atro-
ciora, quò tectiora. At ars diuina regnandi
ſuæ poteſtatis illuſtre documentum dedit, cum
Chri-

Chriſtus ſola maieſtate oris armatus obuiam proceſſit hoſtibus, & furentem audaciam, vocis vnius authoritate compreſſit. Dixiſſes prædabundæ temeritati non mitem vultum obiectari, ſed cælum iracundum, ac minax; ab oculis non lumina circumferri, ſed fulgurà vibrari, vocem denique auditam non hominis loquentis, ſed tonantis veriùs, ac fulminantis Dei. Adeo ceù ſubita luce perſtricti, ac veluti horrendo fragore perculſi prædones truculenti abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Vt aptiſſimè pronunciatum fuerit ab Auguſtino. *Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? qui moriturus hoc potuit, quid poterit regnaturus?* Ipſum à miniſtris Iudæorum capi, ac vincîri, non ſine regnatrice arte diuinitatis fuit. Hamus enim ille, in quo erat Leuiathan extrahendus è Regno ſuo, & princeps huius mundi eijciendus foras, non caperet; niſi caperetur. Fortior Sampſon, qui mortem attulit hoſtibus moriendò, niſi vinctus fuiſſet, niſi columnæ innixus, inimicorum domum non afflixiſſet ad terram. Sed iam ad Aulas Principum, hoc eſt ad ipſas prudentiæ Regias, Innocentia captiua pertrahitur; quaſi per vim dumtaxat, atque inuita eò raperetur integritas, vbi iuſtitia venalis erat; vbi audiebatur pro

Tr. 113. In Ioan.

actore

actore calumnia, pro teſte mendacium; vbi Iudicis loco ferebat aduerſarius ipſe ſententiam. Hîc verò quid non veteratoriè factitatum, dum falſum aduerſus innocentem teſtimonium adornant, dum eius verba, in ſententiam populari opinione ſacrilegam ſiniſtra interpretatione detorquent, dum Princeps Sacerdotum, ad Chriſti reſponſum, ſacris non parcit veſtibus, quò minus illi, ceu blaſphemanti, à furibunda plebe parcatur; ſed acclametur extemplo,

Math. 26. *Reus eſt mortis*. At hoc ipſum intortum in caput inſontis telum in auctores ipſos Diuina ſapientia retorquet. Vt enim ſapientiſſimè de

Ser. 6. de Paſſ. more Magnus Leo. *Caiphas ad exaggerandam auditi ſermonis inuidiam, ſcidit veſtimenta ſua, & neſciens, quid hac ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore priuauit*. Verùm in Aula Romani Præſidis, tanquam in meliori lumine, atque ampliore theatro Ars vtraque regnandi luculentius multò dedit ſpectaculum ſui. Quid

Ioan. 18. enim contendebant aliud Iudæi, profitentes. *Nobis non licet interficere quemquam*. Niſi ſubdolè declinare, tam iniuſtæ, ac ſæculis omnibus deteſtandæ cædis inuidiam? Quid per ſummam

Luc. 23. calumniam aſſerentes. *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari*; niſi crimen imponere, quod ma-

gnam

140

gnam partem ipſum peteret Pilatum, Tiberij Cæſaris adminiſtrum, tributorumque participem; vt, argenteis ipſi quoque pugnantes haſtis, victoriam reportarent? Quid poſtremo cùm diſertiſſimè monent: *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris*? Actum de te iam eſt, innocentiſſime idem, ac nouiſſime virorum; quando vltimum, ac validiſſimum contra te tormentum exploditur, amicitia Cæſaris, gratia Principis, à qua qui excidit ſemel, vix vnquam reſurgit, quo cum caſu, & bonorum, & dignitatis, & vitæ ruina eſt plerunque coniuncta. Sed neque in tam periculoſo rerum articulo deſiderari, ſe patitur diuinæ ſapientiæ conſilium impenetrabile. Siquidem Romanus ipſe Iudex, eum, quem illi deferebant, veluti Cæſarianæ Maieſtatis reum, iterum, ac tertiò pronunciat innocentem. Eumdem pro tribunali ſedens, hoc eſt in loco, vbi ſolium habet veritas, vel expreſſa tormentis oſtentat, populo circumfuſò purpurea chlamide, coronaque ſpectabilem; vt (quemadmodum Ambroſius loquitur) *In altera deſignaret Martyrum palmas, in altera Regiæ poteſtatis inſignia:* titulumque addidit inſignibus. ECCE REX VESTER; Cui; *Licet defuerit boni operis affectus; Deo tamen ſuus non defuit honor, qui ſalutatur, vt Rex, coronatur,*

Ioan. 19.

In Luc. 23.

Ioan. 19.

S. Ambr. ibidem.

tur,

tur, vt victor; quaſi Deus, & Dominus adoratur. Denique palam omnibus, affuſâ manibus aqua culpam ſuam omnem diluere conatur in illius iuſti damnatione iniquiſſima. Quem ergo ſui Ciues accuſant, Iudex defendit extraneus; Illi ſubtrahunt opera manuum, & exerunt tela linguarum; Hic extortâ clamoribus, tumultibusque ſententiâ morti Crucis adiudicat, in quo nullam ſe cauſam mortis inuenire; teſtatur. Ponderoſum verò ſupplicij lignum ſemianimis impoſitum dorſo, excogitatum à callidis inimicorum ingenijs fuit, vt grande ludibrium, ſed præmonſtratum à Sacrorum Vatum Oraculis ante fuerat, vt grande myſterium; cùm ſcilicet præuiſus fuit Regis Maximi principatus ſuper humerum eius. Illud igitur inſtrumentum, quod ingenioſa Iudæorum improbitas ignominioſam fabricauit ad pœnam, ſupremæ rationis ſapientia, & Chriſti, & Chriſtiani generis æternam traduxit ad gloriam. Infelici eum arbori confixerunt, vt eſſet omnibus execrabilis ex antiquiſſimæ legis horrendo carmine: *Maledictus homo, qui pendet in ligno*. Sed votis è regione contrarius ſucceſſit euentus; vt nimirum in ipſo benedicerentur omnes gentes; vt exaltatus à terra omnia traheret ad ſeipſum; vt, quod latronum fuerat ferale

Deut. 21.

rale

tale ſupplicium, ornaret inpoſterum gemmata diademata Cæſarum Imperatorum, Romanorumque Pontificum triplici coronæ impoſitum, adoraretur à populis, coleretur ab Regibus, ab ipſis monſtris Tartareis formidaretur. Illa quoque Crucis inſcriptio patibulo præfixa, quæ probroſa videbatur tot atrocium tormentorum appendix, Romanæ poteſtatis, eo tempore dominantis, imperio, vel Iudæa reclamante, Chriſtum Regem nationibus palam omnibus declarabat, & quidem Hebraicè, Græcè, & Latinè, hoc eſt tribus præcipuis humanarum gentium linguis, vt omnis lingua confiteretur, quia Chriſtus erat in gloria, dum ſaturabatur opprobrijs, & qui pendebat in ligno, iam tum regnabat à ligno. Et verò quid vſpiam eſſet adeò vel natura barbarum, vel moribus immanſuetum, vel amoris omnis indocile, quod arcanà quadam vi, ad ſe ille non traheret Diuinæ potentiæ ſimul, ac ſapientiæ Magnes cordis cuiuſcumque, vel ferrei ſuauiſſimè rapax? Cuius animum, quamuis meliorum incurioſum, & inopem pietatis, illa non alliceret, vel pietatis innocentia, vel morientis indignitas, vel charitas aliena ſcelera ſuo ſanguine diluentis? Hæ nimirum regnatrices erant Diuinitatis Artes; vt alijs prodeſſet, ſe pœnis obnoxium dedere;

Ioan. 19.

dere;

dere; vltrò ſanguinem, animamque depone-re, vt aliena ſalus eſſet in integro. O ſuorum, quàm ſui amantiorem Regem, qui pro popu-lis delirantibus plectitur; & rariſſimo exemplo, mortem vltrò Dominus oppetit, ne mancipia viliſſima moriantur, ſui ſanguinis adeo libera-lis, vt ſemetipſum tradiderit pro nobis! Hanc artem regnandi fallaci Iudæorum politicæ pror-ſus oppoſitam, ſubiectis ſibi Principibus è Cru-ce explanauit, hoc eſt ex illa, vel cathedra do-centis, vel ſede iura dantis Magiſter ſapientiſ-ſimus, idemque manſuetiſſimus Rex immorta-litatis, & gloriæ. Nimirum bona facere, & mala pati, hoc demum eſt Christianè regnare.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google